

differentiam genericam, aliam specificam. Differentia generica sub nomine generis comprehenditur. Vbi dico [65:] „homo est animal“, intelligo hominem esse substantiam corpoream, quae habet dimensiones. Satis est igitur exprimere differentiam specificam illius speciei, quae tunc definitur. In hanc
 5 necessitatem ordinis immotam, cum quidam ex scholasticis respicerent, pronunciarunt, ne quidem per potentiam diuinam effici posse, vt corpus non habeat extensiones vel locationes dimensionum, quod cum quidam recens imitati essent iudicati sunt a nostra noua Sorbona peccasse peccato blasphemiae.¹⁹⁹ Sed animaduertere poterant nihil aliud dici hac propositione, nisi
 10 hoc: Deus nunquam facit contradictoria, quia est verax, perinde sicut impossibile est dari contrarium huius propositionis: Deus est iustus. Ita necessitas definitionum etiam immutabilis est. Interea, vbi ipse vult, destruit rerum substantias, cum quibus definitiones et omnes proprietates euanescunt. Verum omitti potest et haec locutio propter peruersitatem expositionis. Credo prudentibus propemodum me satisfacere, sed plerique alij cantilenam eandem
 15 canunt, Aristotelicum hoc esse neque scriptum in codice biblico. Rursus respondeo: Natura et ordo naturalis sunt opera Dei, ita condita in prima creatione. De illis igitur, quae natura ita ordinata sunt, non concionatur euangelium, sed loquitur de alia sapientia, quae est supra et extra ordinem naturae. Doceant igitur illi ex sermone diuino contra immotum ordinem creationis corpus
 20 nominari substantiam, quae caret dimensionibus et corpus aliquod aut sine loco aut vbique esse posse. Et rursus contra haec somnia citamus argumentum, quod Christus ex hoc ordine naturae de veritate suae naturae humanae ducit. De coelo plana est responsio. Aristoteles docuit vnicum esse mundum.²⁰⁰ Ex hac igitur hypothesi ratiocinatur extimam superficiem coeli non
 25 circumdari alio corpore. Interea non negat locationem intrinsecam et extensionem dimensionum ipsius coeli. Imo Peripatetici posteriores addunt recte vniuersum coelum etiam, quo ad respectum extrinsecum, in loco constitui.²⁰¹ Sed cum haec aetas ea, quae non intelligit, soleat no-[66:]minare argutias,
 30 ideo mittemus ista et veniemus ad miracula theologica:
 Corpus Christi, inquiunt, ambulauit super aquas, ingressum est per ianuas clausas, per lapidem monumenti, sublatum est sursum in aerem. Si igitur in penetratione dimensionum corpori Christi sunt ademptae dimensiones et alio tempore grauitas, cur non per omnipotentiam Dei posset adimi locatio? Respondeo: Ferme assentior illis, qui aiunt ineptos physicos in rerum naturalium
 35 consideratione ad causas occultas, vbi nihil opus est, similes vero theologos

¹⁹⁹ Die theologische Fakultät der Pariser Universität, der Sorbonne, war im 16. Jahrhundert eine der Hauptautoritäten für Glaubensfragen. Sie erstellte viele theologische Gutachten, u.a. auch in der Luthersache. Vgl. hierzu Laetitia Boehm, Art. Paris I, in: TRE 26 (1996), 7–10.

²⁰⁰ Vgl. hierzu etwa Aristoteles, De caelo II, 1, in: Aristoteles, De caelo libri quattuor, hg. v. Donald James Allan, Oxford 1936 (SCBO, ND: 1955), 283b,26–31.

²⁰¹ Zur philosophischen Schule der Peripatetiker und ihren Lehren vgl. Hans Gottschalk, Art. Peripatos, in: NP 9 (2000), 584.